



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1863

Animadversiones Extemporales Danielis Paperbrochii, Hagiographii, Nunc
Primum Ex MSS. Editæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](#)

ANIMADVERSIONES EXTEMPORALES

DANIELIS PAPEBROCHII, HAGIOGRAPHI,

NUNC PRIMUM EX MSS. EDITÆ.

IN ACTA SANCTORUM DIEI I JANUARII.

Nor. 150. Historia translati Antverpiam præputii juxta narrationem D. Jo. Goeselier canonici ex ms. Rubear vallis, prima parte, quæ modum conservatio-nis narrat, fabulosa, ideoque omissa, uti et carmina de eadem re antiquiora. Vide Annales nostros Ant-verpienses.

Nor. 151. De S. Fulgentio Ep. Ruspensi collectanea P. Bollandi pro Commentario et notis, quas desunt ad Vitam, dabuntur in supplemento operis.

Nor. 152. De SS. Elvano et Medwino res suspecta fiet, attentis iis, quæ de Glastoniensium fabulis ha-bentur ad vitam S. Patricii 17 Martii: ipsi videntur omittendi, quia non satis constat de cultu.

Nor. 153. Translatio Reliquiarum Taurinum S. Guilielmi Ab. Divion. ibidem descripta nobis est ex ms. Comitis Philippi.

Nor. 154, pag. 2, num. 1. Quis ille Faustinus? An Lugdun. Ep. initio 3 saeculi? Sammarth. certe num. 3 indicat, nonnisi recens e civitate sublatas superstitiones.

Nor. 155, p. 4. Corosii etymon quasi a *Courroie*, id est corrigia sumptu fabulosum videtur: quis enim præputium corrigiam nominaverit?

Nor. 156, p. 6. De episcopo Hierosolym. sub Bullionio, deque regina Siciliæ, quæ Antverpiam venerit, quærendum aliquid num. 25 et 28.

Nor. 157, p. 9. Omittendi Martyres Syracusani, de quorum cultu nihil Cajetanus; tantum in Vita S. Marcianni fit quædam mentio plurium in Sicilia passorum.

Nor. 158, p. 9. De S. Concordio, Tribuli prope Spoleto vivente, an credibile corpus avectum in Hispaniam? non videtur. De Tribula vide Ortelium in Thes. ubi de Mutuscio.

Nor. 159, p. 11, num. 3. Qui bis vel ter consul fuerit ante mortem Alexandri Imp. et pater S. Martinæ esse potuerit, solus occurrit Maximus circa an. 230.

Nor. 160, p. 19. Addi posset descriptio Marmorei templi, cryptæque et sarcophagi ex aere inaurato, ad quod an. 1661 celebravimus. Vide Diarium meum ms. in Thes. ubi de Mutuscio.

Nor. 161, p. 13, n. 16. Illa voracitas Leonis, cui S. Martinæ objecta, eget correctione.

Nor. 162, p. 20. Ad S. Paracodam videtur ad-denda ratio, ob quam suspecta sit Epistola Victoris ad eum.

Nor. 163, p. 21. De S. Gregorii Patris sede atque ætate plenus agendum. Dividenda in capita Orationes filii: note aliquæ saltem ex Elia Cretensi aut Billio adiectiæ.

Nor. 164, p. 47, num. 10, lin. 16, *resurgent lege resurgent*. — Num. 12, lin. 9, *momentaneum lege montaneum*. S. Mochuæ Ballensis Vita videtur omit-tenda: quia cultus non probatur. Temere amico con-cessum, ut insereretur, judicavit P. Henschenius.

Nor. 165, p. 11. Considerandum an expedit pro vero vita dare unam (qualis hæc S. Martinæ est et in Martio S. Eudocie) quæ infimum habeat probabilitatis gradum, et fabulosis circumstantiis miraculisque adjectis potest interpolata censeri: fortassis talis in ultimum locum merito rejiceretur, exposita can-dide ratione, cur id fiat, licet alias prior esse deberet rationis temporis.

Nor. 166, p. 32. Vita S. Fulgentii aliæque se-quentes divisæ sunt in capita nimis exigua; desunt commentarij prævio, quales alibi adhibiti.

Nor. 167, p. 34. In vita S. Eugendi, collatis inter se, numeris 24 et 27, considerandum, an capita ali-qua desint; an vero de alio opusculo distincto sit sermo.

Nor. 168, p. 37. Requirendum, an de S. Stabile haberí possint antiquæ lectiones, etc.

Nor. 169, p. 58. Anno Domini mxxx vita dece-sit, imo anno mccc. Corrige: A. D. mxxx vita dece-sit, annos scilicet gallico more a Pascha ad Pascha suppau-tibus, qui nobis discendus esset mxxxi, etc.

Nor. 170, p. 71. Circa Vitam S. Odilonis per Lot-saldum seu Jotsaldum, quærendum, quis ille Stephanus, cui inscribitur; notandumque quoque, Odilonis sororem Blitmodem tunc fuisse fere centenariam ex num. 7. Miracula post mortem scripta et a B. Pe-tro Damiano citata requirimus. Mabillonius in sœculis Benedictini integrum Jotsaldi scriptionem edidit.

Nor. 171. Ad S. Martinam referenda videntur omnia quæ 11 Januarii de S. Tatiano tradunt Græci.

Nor. 172. De S. Gulielmo Abbate Divionensi agi-tur in Card. Ep. Alb. Pedemontanis, pag. 384. De eodem videndum Spicil. tom. 1, pag. 430, etc.

Nor. 173. S. Justini Theatini festum a 1 ad 14 translatum.

Nor. 174. S. Basili Magni caput Amalphi.

Nor. 175. Odilonis Abb. Cluniacensis Epistolæ plures Spicil. 1, pag. 386 etc. Ejusdem electio Spicil. 6, pag. 423. Annales Aurelian. Saussaji pag. 538. Laudatur in Chron. Virdun. n. 43, pag. 162.

Nor. 176. B. Gulielmi Divion. factum insigne n. 43, p. 183.

Nor. 177. S. Martinæ Reliquiæ Salmanticae.

IN ACTA SANCTORUM DIEI II JANUARII.

Nor. 178. B. Airaldi Carthusiani Ep. Maurian. Vita duplex pro supplemento in collectaneis jacet.

Nor. 179. SS. Marcianni, Macarii, Stratolini et Protogenis Passio extatex ms. S. Petri Romæ; non ha-bemus nisi quorundam nomina in ms. S. Hieronymi.

Nor. 180. S. Basilii M. Aneyrani Martyrium

excipi poterit ex ms. Græco de vita Basillii Presbyt. qui ibi cum hoc perperam confunditur.

Nor. 181, p. 91. Genealogia S. Maximi an digna quæ tali Vite premittatur? Videtur fabulosa.

Nor. 182. S. Vedasti inventio omittatur, cum tota inserta sit commentatorio prævio 6 Feb.

Nor. 183.

Nor. 183. S. Adelardi Epitaphium vide *tom. 4.* Galliae Christianæ : item translationem, *an. 1263.*

Nor. 184. S. Defendantis Acta, quae Ferrarius Bergomi esse ait, ibidem non reperiri constat, facta diligentissima inquisitione anno 1668 : accepimus autem aliquid ex Bergom. Hist. quadripartita de eo.

Nor. 185. Seraphini della Porretta Vita Italica in-4, per Mich. Pium exstat.

Nor. 186. Stephanus Quinzane Ord. Praed. Vita Italica in-4, exstat etiam.

Nor. 187. In App. B. Odino. Non satis probatus ejus cultus : cuius defectu frater ejus Eber-

hardus etiam debuit poni inter prætermisso.

Nor. 188. Silvester Trainensis ex Cajetano ponendus inter prætermisso ad 2 Maii.

Nor. 189. Corbeia petendum vetus S. Adelardi officium a S. Geraldo compositum, ut dicitur in Vita 3 Apr. n. 14. Statuta ejusdem S. Adelardi habentur in tomo 4 Spicilegii.

Nor. 190. De S. Defendente vide Caroli Ep. Historiam Novariensem *pag. 23.*

Nor. 191. S. Adelardi Statuta in Spicilegio. Lucas ex Vita appensus *pag. 472* in Chron. Centul. ibid.

IN ACTA SANCTORUM DIEI VI JANUARII.

Nor. 192, *p. 324.* De S. Pompejano consultius omittetur.

Nor. 193, *p. 327.* S. Melanii festum 6 Nov. mediis probaretur ex Actis num. 31.

Nor. 194, *p. 334.* S. Petrus Abb. Cantuariensis videtur omittendus, donec probetur cultus.

Nor. 195, *p. 335.* Annot. a. Etymon Alemanni rectius ab Ael nobilis peteretur.

Nor. 196, *p. 330.* Ad annot. a addit. Diabolus autem Teutonibus multis *Divel* pronuntiatur, quod si dissolvias et *die-val* dicas, erit : *iste casus seu lapsus* : ad quod appetit hunc auctorem respicere.

Nor. 197. De Tribus Regibus tota tractatio me-

lius ponetur hoc die, quam seorsim de singulis. De eorum Translatione et inventione vide historiam Pontif. Mediolan. Ital. in-8, per Jo. Franciscum Besozzi *p. 4* et 163. Item Spicil. 8, *pag. 444.* Quomodo eadem impetraverit Ep. Leodiensis, sed morte praeventus non pertulerit vide *n. 49, p. 113* et 113.

Nor. 198, *p. 322.* Inter prætermisso de S. Arthemio Senon. dele 23 Apr. et corrigere : Sed hæc Ordinationis ejus memoria est; depositio autem agitur, quando de ipso agemus, *xxviii Aprilis.*

Nor. 199, *p. 327.* De S. Melanii Translatione Pruliacum vide Chronicum Britannicum.

IN ACTA SANCTORUM DIEI X JANUARII.

Nor. 200. S. Pauli Eremitæ vita Graeca, ex qua suam sumpsisse Hieronymum judicabat Franc. Redi, Patr. Aretinus, medicus Florentiae eruditissimus exstat etiamnum. Habemus textum graecum ex ms. Bavarico.

Nor. 201. S. Marciani Oeconomi auctore Sergio synchrono Vita graeca exstat : videndum, an, quæ notatur esse in vat. 1638, *f. 176 paginarum 30,* sit ab hac diversa.

Nor. 202. Exstat S. Guilielmi Bituric. Vita stylo primigenio in membrana Cheffletii. Vide Labbe tom. 2Mss. *p. 97* et *p. 107* et *p. 379* et 388. Miracula ex ms. Reg. Suecia. Canonizatio ex Registro Vaticano. Festum Aureliae. Vide Ann. Aurel. *p. 483* et indicem. Reliquias vide *pag. 642.*

Nor. 203. B. Gregorii X Vita et miracula ex Archivio Placentino conscripta anno 1290. Relatio pro Canonizatione exstat. Item Tabella miraculorum. Decultus ejus apud Antinos vide Castellinum de certitudine gestæ Canonizationis *pag. 438* et seqq.

Nor. 204. S. Guilielmi Bitur. Vita compend. et alia quedam ex ms. Bedæ. Vide Chronicum Mon. Autissiodor.

Nor. 205. B. Benincasa Abb. Cav. in Chronicis.

Nor. 206, *p. 600.* Ad Senecam Hierosol. Ep. col. 1. Addit. : Sanctum eum uti omnes primos Hierosolymitanæ ecclesiae ex Judeis Episcopos vocat etiam Theodorus Pauli in Chronicis universalis ms., additum ecclesiam saluberrime rexisse et quievisse anno Domini centesimo. De festo illius hoc die celebrando, ut de variis facit, nec verbum scribit.

Nor. 207, *p. 627.* De S. Sethridæ sororibus conferenda et forte corrigenda ex dictis 17 Martii de S. Witburga, etc.

Nor. 208, *p. 629, n. 2.* Turonensis indicatur; videtur fuisse Gaufridus de Ludo tunc Parisiensis Archidiaconus electus Turon. anno 1206. Meldensis vero Guilielmus de Nemours ex Cantore Parisiensi creatus Meldensis episcopus anno 1214. Vide Gallicam christianam.

N. 3. Cisterciensis Abbas, qui indicatur, videtur fuisse Guido Paré. Legatus an Card. Hugolinus? *n. 26.* Cisterciensis Abbas indicatus fuit manifeste Arnaldus Amalricus an. 1202 primus Inquisitor.

Nor. 209, *p. 640.* Integri libri de miraculis B. Gonzalvi Amaranthi adhuc supersunt requirendi.

Nor. 210. Joannis Boni Episcopi Genuensis Vita Italica exstat.

Nor. 211, *p. 623.* Post num. 2. Addit. quæ de corpore ab haereticis combusto citantur 4 Febr. *p. 584* in annot. b.

Nor. 212. De B. Joanna exstat liber sociæ coævae Franciscæ de Villehume 193 foliorum, item miraculorum 130 catalogus per Mirault citatus in proemio.

Nor. 213. Cherubina de Agnus Dei hoc die obiit anno 1663. De ea exstat epistola Florentinii.

Nor. 214, *p. 621, num. 1.* Vita per Bezzutium est in historia ejus Pontificali Epp. Mediol. in-8, *pag. 108,* Italice.

Nor. 215. De B. Gonsalvo Amarantho agit historia de Braga parte 2, *f. 140.* Vide item de Porto d'Acunha *p. 2, f. 367.*

Nor. 216. Walerici Erem. Corpus Novalitium, et inde Taurinum delatum videtur. Vide ad 1 Aprilis. De S. Walerico alio *n. 13.* Vide Bibl. Labbe *t. 1, p. 634* et *t. 2, p. 173.*

IN ACTA SANCTORUM DIEI XI JANUARII.

Nor. 217. S. Theodosii Vita primigenia per P. Theodorum Episc. Petrarum exstat in Vaticano : habemus integrum. Item ex ms. Vatic. que de hoc et Sophronio reliquit Cyrillus, qui nullam aliam Vitam scripsit. Item stylo mutato per Metaphrastem ex Vaticano, qualem Latine impressimus : sed miserrima et obscurissima est versio.

Nor. 218. S. Petri Urseoli ex ms. Acta antiqua, ex quibus etiam cultus probatur, exstat.

Nor. 219. S. Leutii Vita prolixissima ex ms. Vallicellano improbabili Gallonio. Videtur prorsus omitenda fuisse Vita qualiscumque, cum undique appearat fabulosa, et solum de culta atque translatione agi debuisse, sicut 11 Aprilis egimus de S. Barsanophio.

phio. Vide Ugellum T. 9, col. 46, tom. 7, col. 1205 a.

Nor. 220, p. 664. Bernardus Ord. Praedic. Pro his verbis: *Non compumperimus an colatur: haec scribantur: Nullum ecclesiasticum cultum eidem tribui, vel hinc colligas, quod idem Cajetanus in opere de Vitis Sanctorum Siculorum omnino pratermittendum sibi judicavit.*

Nor. 221. S. Oringer Vita per Curtium omitenda: sed ex ea, seu potius ex Fr. Honorio, quem citat, quique querendus, accipienda analecta, ad complementum primae Vitæ. Quærendum etiam Florentiæ, qualisnam Vita sit ea, quæ in ms. Coenobii S. Claræ exstat.

Nor. 222. S. Honorata Ticin. Vita ex ms. Monasterii S. Mariae Capularum petita in Aug. an. 1668.

Nor. 223, p. 710. Lit. i et 713 lit. c, qua habentur in notis de Monachatu Offæ et Kennedi conferenda et corrigenda ex editis in Martio de S. Kineswirtha, etc.

Nor. 224. De S. Tatone vide dicenda xi Oct. ad S. Galdonem, et ms. et Marium Viperam in chronol. Ep. Benevent. pag. 33.

Nor. 225, p. 715 post n. 3 adde: Haec Alcuinus, ubi versus illæ: *Angelici faciem caram Paulini habeatis in ævum uno redundat pede, non ex auctoris inad-*

vertentia, sed librariorum imperitia: cum enim Alcuinus caram scripsisset, idque (ut etiam nunc Hispanis) faciem significare aut supra aut in margine notasset aliquis, ipsa annotatio in textum translatâ vitium fecit videri.

Nor. 226, p. 716, b. Laudat Paulinum Alcuinus de Symbolo fidei concinato. Si habetur Usserius de Symbolo, ubi asserit Symbolum, quod Apostolorum dicitur, esse Symbolum Aquilejense, posset hic aliqua docta annotatio addi.

Nor. 227, p. 718, in Epitaphium notandum, quis ille *Pater* cum Paulino sepultus. S. Paulini Vita a Ferrario indicata ex ms. Civitatis petita Gloritiae 1668 Aug.

Nor. 228, p. 679, litt. g. *Referemus infra xiv Julii, quo colitur; pone: xxiv Octobris*, ad quem eum remisimus.

Nor. 229, p. 709. Quam varia sit epistola Constantino Papæ afficta, vide in tractatu de diplomatis ad Apr. Marianus Abb. familiaris S. Theodosio Cœnobiarachæ notatur in Kalend. Moscovitico.

Nor. 230, p. 666. De S. Hygini P. M. reliquiis vide recentiora scripta.

